

SESSION 2002

ÉPREUVE À OPTION*L'usage de la calculatrice n'est pas autorisé***VERSION LATINE**

Durée : 4 heures

Préface d'un traité de rhétorique anonyme

Etsi negotiis familiaribus impediti uix satis otium studio suppeditare possumus et id ipsum quod datur otii libentius in philosophia consumere consueuimus, tamen tua nos, C. Herenni, uoluntas commouit ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa uelle cognoscere rhetoricam intellegebamus: non enim parum in se habet fructus copia dicendi et commoditas orationis, si recta intellegentia et definita moderatione animi gubernatur. Quas ob res illa quae Graeci scriptores inanis arrogantiae causa sibi assumpsere reliquimus. Nam illi, ne parum multa scisse uiderentur, ea conquisiuerunt quae nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur: nos ea quae uidebantur ad rationem dicendi pertinere sumpsimus. Non enim spe quaestus aut gloria commoti uenimus ad scribendum quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus uoluntati. Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus, si te illud unum monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum iuuare, ut intellegas hanc rationem praeceptionis ad exercitationem accommodari oportere.

Rhétorique à Herennius

SESSION 2003

ÉPREUVE À OPTION

L'usage de la calculatrice n'est pas autorisé

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Sur les vertus qu'un éloge doit mettre en valeur

Perspicuum est igitur alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, uires, opes, diuitiae ceteraque, quae fortuna det aut extrinsecus aut corpori, non habent in se ueram laudem, quae deberi uirtuti uni putatur. Sed tamen, quod ipsa uirtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda in laudationibus etiam haec sunt naturae et fortunae bona ; in quibus est summa laus : non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae, ut opes et copiae non superbiae uideantur ac lubidini, sed bonitati et moderationi facultatem et materiam dedisse.

Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae uirtutes, quae uidentur in moribus hominum et quadam comitate ac beneficentia positae ; aliae, quae in ingenii aliqua facultate aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu in laudationibus (...). Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues ac pro nihilo putantur (...) admirationis habet non minus, iucunditatis minus ; ipsos enim magis uidetur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri.

CICERON

Tournez la page S.V.P.

SESSION 2004

ÉPREUVE À OPTION*L'usage de la calculatrice n'est pas autorisé***VERSION LATINE**

Durée : 4 heures

*Consolation à Cicéron sur la mort de sa fille.**Cicéron fut très affecté par la mort de sa fille Tullia. Un de ses amis, célèbre jurisconsulte, lui adresse la lettre suivante.*

Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigarem, coepi regiones circumcirca prospicere : post me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare : « Hem ! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera projecta iacent ? Visne tu te, Serui, cohibere et meminisse hominem te esse natum ? » Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus ; hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas.

Modo, uno tempore, tot uiri clarissimi interierunt, de imperio populi Romani tanta deminutio facta est, omnes prouinciae conquassatae sunt⁽¹⁾ : in unius mulierculae animula si iactura facta est, tantopere commoueris ? Quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.

Etiam tu ab hisce⁽²⁾ rebus animum ac cogitationem tuam auoca atque ea potius reminiscere quae digna tua persona sunt : illam, quamdiu ei opus fuerit, uixisse ; una cum re publica fuisse ; te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem uidisse.

Seruius Sulpicius Rufus.

⁽¹⁾ Allusions aux guerres civiles qui viennent de se terminer par la victoire de César, laquelle marque la fin du régime républicain.

⁽²⁾ *Hisce* : forme renforcée de *his*.

VERSION LATINE

Malheurs des vieillards

Praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis
febre calet sola ; circumscilicet, agmine facto,
morborum omne genus, quorum si nomina quaeras, (...)
percurram citius quot uillas possideat nunc
quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat.
Ille umero, hic lumbis, hic coxa debilis ; ambos
perdidit ille oculos et luscis inuidet ; huius
pallida labra cibum accipiunt digitis alienis ;
ipse, ad conspectum cenae diducere rictum
suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
ore uolat pleno mater ieiuna. Sed omni
membrorum damno maior dementia, quae nec
nomina seruorum nec uultum agnoscit amici
cum quo praeterita cenauit nocte, nec illos
quos genuit, quos eduxit : nam codice saeuo
heredes uetat esse suos, bona tota feruntur
ad Phialen(1); tantum artificis ualet halitus oris
quod steterat multis in carcere fornicis (2) annis.
Ut uigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
funera natorum, rogos aspiciendus amatae
coniugis et fratris, plenaeque sororibus urnae.
Haec data poena diu uiuentibus ut, renouata
semper clade, multis in luctibus inque
perpetuo maerore et nigra ueste senescant.

Juvénal

(1) *Phialen* (accusatif grec) : Phialê, nom fictif d'une courtisane que le vieillard aura couchée sur son testament, au détriment de ses héritiers légitimes.

(2) *fornix, icis*, m. : lupanar.

VERSION LATINE

Vanité de l'historiographie profane, utilité de l'hagiographie chrétienne

Plerique mortales, studio et gloriae saeculari inaniter dediti, exinde perennem (ut putabant) memoriam nominis sui quaesierunt, si uitas clarorum uirorum stilo inlustrassent. Quae res utique non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptae spei fructum adferebat, quia et suam memoriam, licet incassum, propagabant, et, propositis magnorum uirorum exemplis, non parua aemulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam aeternamque uitam haec eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis, occasura cum saeculo¹, scriptorum suorum gloria profuit ? Aut quid posteritas emolumenti tulit, legendo Hectorem pugnans aut Socratem philosophantem, cum eos non solum imitari stultitia sit, sed non acerrime etiam impugnare dementia — quippe qui, humanam uitam praesentibus tantum actibus aestimantes, spes suas fabulis, animas sepulcris dederint — ? Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt, cum hominis officium sit perennem potius uitam quam perennem memoriam quaerere, non scribendo aut pugnando uel philosophando, sed pie, sancte religioseque uiuendo. Qui quidem error humanus, litteris traditus, in tantum ualuit ut² multos plane aemulos uel inanis philosophiae uel stultae illius uirtutis inuenerit.

Unde facturus mihi operae pretium uideor, si uitam sanctissimi uiri³, exemplo aliis mox futuram, perscripsero, quo utique ad ueram sapientiam et caelestem militiam diuinamque uirtutem legentes incitabuntur.

Sulpice Sévère, *Vie de saint Martin*

¹ A prendre au sens chrétien du mot.

² *In tantum... ut* = *adeo... ut* (tour postclassique).

³ Il s'agit de saint Martin, « l'apôtre des Gaules » (vers 316-397), dont Sulpice va raconter la vie, après ce prologue.

VERSION LATINE

Les penseurs méritent plus d'honneurs que les athlètes.

Nobilibus athleticis qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea uicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constituerunt uti, non modo in conuentu (1) stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum reuertantur in suas ciuitates cum uictoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias inuehantur, e reque publica perpetua uita constitutis uestigialibus fruuntur.

Cum ergo id animaduertam, admiror quid ita non scriptoribus eidem honores etiamque maiores sint tributi, qui infinitas utilitates aeuo perpetuo omnibus gentibus praestant. Id enim magis erat institui dignum, quod athletae sua corpora exercitationibus efficiunt fortiora, scriptores non solum suos sensus, sed etiam omnium, cum libris ad discendum et animos exacuendos praeparant praecepta.

Quid enim Milo Crotoniates quod (2) fuit inuictus prodest hominibus, aut ceteri qui eo genere fuerunt uictores, nisi quod, dum uixerunt ipsi, inter suos ciues habuerunt nobilitatem ? Pythagorae uero praecepta, Democriti, Platonis, Aristotelis ceterorumque sapientium, cotidiana perpetuis industriis culta, non solum suis ciuibus, sed etiam omnibus gentibus recentes et floridos edunt fructus. [...] Cum ergo tanta munera ab scriptorum prudentia priuatim publiceque fuerint hominibus praeparata, non solum arbitror palmas et coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos et inter deorum sedes eos dedicandos iudicari.

Vitruve

(1) *conuentus* : désigne ici le stade.

(2) *Quid quod* : « En quoi le fait que... »

VERSION LATINE

Dédale se prépare à fuir le Labyrinthe

Après avoir construit pour Minos le labyrinthe destiné à enfermer le Minotaure, Dédale se heurte au refus de Minos de les laisser partir, son fils Icare et lui. Il se prépare alors à fuir.

Hospitis (1) effugio praestruxerat omnia Minos ;
Audacem pinnis repperit ille uiam.
Daedalus ut clausit conceptum crimine matris
Semibouemque uirum semiuirumque bouem,
« Sit modus exilio, dixit, iustissime Minos ;
Accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patria, fatis agitatus iniquis,
Viueri non potui, da mihi posse mori ;
Da reditum puero, senis est si gratia uilis ;
Si non uis puero parcere, parce seni. »
Dixerat haec, sed et haec et multo plura licebat
Dicere ; regressus non dabat ille uiro.
Quod simul ut sensit, « nunc, nunc, o Daedale, dixit,
Materiam, qua sis ingeniosus, habes.
Possidet et terras et possidet aequora Minos ;
Nec tellus nostrae nec patet unda fugae ;
Restat iter caeli ; caelo temptabimus ire.
Da ueniam coepto, Iuppiter alte, meo.
Non ego sidereas adfecto tangere sedes ;
Qua fugiam dominum, nulla nisi ista uia est ;
(2) Per Styga detur iter, Stygias transnabimus undas.
Sunt mihi naturae iura nouanda meae. »
Ingenium mala saepe mouent ; quis crederet umquam
Aeris hominem carpere posse uias ?

OVIDE

(1) : *hospitis* désigne Dédale.

(2) : sous-entendre *si* au début du vers.

VERSION LATINE

Deux « hommes forts » en Asie : le Macédonien Séleucus et le roi indien Sandracottus

Après la mort d'Alexandre le Grand, son ancien lieutenant Séleucus se crée son propre royaume, tandis qu'en Inde émerge une nouvelle force.

Multa in Oriente post diuisionem inter socios regni Macedonici¹ bella gessit². Principio Babyloniam cepit ; inde auctis ex uictoria uiribus Bactrianos expugnauit. Transitum deinde in Indiam fecit, quae post mortem Alexandri, ueluti ceruicibus iugo seruitutis excusso, praefectos eius occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat, sed titulum libertatis post uictoriam in seruitutem uerterat, siquidem occupato regno populum, quem ab externa dominatione uindicauerat, ipse seruitio premebat. Fuit hic humili quidem genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus. Quippe cum procacitate sua Nandrum regem offendisset, interfici a rege iussus salutem pedum celcritate quaesierat. Ex qua fatigatione cum somno captus iaceret, leo ingentis formae ad dormientem accessit sudoremque profluentem lingua ei deterisit expergefatumque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus Indos ad nouitatem regni sollicitauit. Molienti³ deinde bellum aduersus praefectos Alexandri elephanta ferus infinitae magnitudinis ultro se obtulit et, ueluti domita mansuetudine, eum tergo excepit duxque belli et proelior insignis fuit. Sic adquisito regno Sandrocottus, ea tempestate qua Seleucus futurae magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat.

JUSTIN, *Histoires Philippiques*

¹ Il s'agit d'Alexandre le Grand.

² Sujet : Seleucus.

³ Sous entendre *ei* après *molienti* ; *is* désigne toujours le roi Sandracottus.

VERSION LATINE

Un enfant malicieux

La mère du jeune Papirius, qui a accompagné son père au sénat, interroge son fils sur les débats qui s'y sont tenus en secret. Papirius invente un mensonge qui met les femmes en émoi et vaut à l'enfant de grands honneurs.

Mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium quidnam in senatu patres egissent. Puer respondit tacendum esse neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior; secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum euerberat; quaerit igitur compressius uiolentiusque. Tum puer, matre urgente, lepidi atque festiui mendacii consilium capit. Actum in senatu dixit, utrum¹ uideretur utilius exque republica² esse unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset.

Hoc illa ubi audiuit, animus compauescit, domo trepidans egreditur ad ceteras matronas; peruenit ad senatum postridie matrum familias caterua. Lacrimantes atque obsecrantes orant una potius ut³ duobus nupta fieret quam ut uni duae. Senatores, ingredienti in curiam, quae illa mulierum intemperies et quid sibi postulatio istaec uellet, mirabantur. Puer Papirius in medium curiae progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicut fuerat, denarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit uti⁴ posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, praeter ille unus Papirius; atque puero postea cognomentum honoris gratia inditum Praetextatus⁵ ob tacendi loquendique in aetate praetextae prudentiam.

Aulu-Gelle

¹ *Utrum... -ne...an..., ut... ut* : l'alternative *-ne...an...* développe *utrum* : « si (interrogative indirecte) ... ou bien ... ». Les deux complétives introduites par *ut* (littéralement : « le fait que... ») sont sujets de *uideretur* ; dans la première complétive, comprendre *ut unus uir duas uxores haberet*.

² *ex re publica* : « dans l'intérêt de l'Etat ».

³ *orant una potius ut...* : comprendre *orant ut una ...potius...*

⁴ *facit uti ...ne... = facit ne ...*

⁵ *cognomentum Praetextatus* : « le surnom de Praetextatus ».

VERSION LATINE

Préparatifs de fuite.

Enée raconte comment il a fui Troie avec les siens et commence par rapporter les consignes qu'il a données à ses proches.

- 1 « Ergo age, care pater, ceruici imponere nostrae;
ipse subibo umeris nec me labor iste grauabit;
quo res cumque¹ cadent, unum et commune periculum,
una salus ambobus erit. Mihi paruus Iulus
5 sit comes, et longe seruet uestigia coniunx.
Vos, famuli, quae dicam animis aduertite uestris.
Est urbe egressis tumulus templumque uetustum
desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus
religione patrum multos seruata per annos.
10 Hanc ex diuerso sedem ueniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penates;
me bello e tanto digressum et caede recenti
attrectare nefas, donec me flumine uiuo
abluero. »
15 Haec fatus latos umeros subiectaque colla
ueste super² fuluque insternor pelle leonis,
succedoque oneri; dextrae se paruus Iulus
implicuit sequiturque patrem non passibus aequis;
pone subit coniunx. Ferimur per opaca locorum,
20 et me, quem dudum non ulla iniecta mouebant
tela neque aduerso glomerati ex agmine Grai,
nunc omnes terrent aerae, sonus excitat omnis
suspensum et pariter comitique onerique timentem.

VIRGILE

¹ quo res cumque = quocumque res

² la préposition *super* gouverne les accusatifs du v. 15.

VERSION LATINE

L'éducation ne peut plus être aussi stricte que dans le passé.

Cicéron défend un jeune homme dont le père lui a confié l'éducation oratoire et qui s'est laissé entraîner dans une vie de plaisirs.

Dicet aliquis : « Haec est igitur tua disciplina ? Sic tu instituis adulescentes ? Ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendauit et tradidit, ut in amore atque in uoluptatibus adulescentiam suam collocaret, et ut hanc tu uitam atque haec studia defenderes ? » Ego, si quis, iudices, hoc robore animi atque hac indole uirtutis atque continentiae fuit ut respueret omnes uoluptates omnemque uitae suae cursum in labore corporis atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non conuiuia delectarent, nihil¹ in uita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude et cum dignitate coniunctum, hunc, mea sententia, diuinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios omnesque eos qui haec² ex minimis tanta fecerunt.

Verum haec genera uirtutum non solum in moribus nostris, sed uix iam in libris reperiuntur. Chartae quoque, quae illam pristinam seueritatem continebant, obsoleuerunt ; neque solum apud nos, qui hanc sectam rationemque uitae re magis quam uerbis secuti sumus, sed etiam apud Graecos, doctissimos homines, quibus, cum facere non possent, loqui tamen et scribere honeste et magnifice licebat, alia quaedam, mutatis Graeciae temporibus, praecepta exstiterunt.

CICERON

¹ Sous-entendre *qui* avant *nihil*.

² *Haec* (neutre pluriel) : « notre puissance ».

VERSION LATINE

Caligula, un empereur poltron

Non inmerito mentis ualitudini¹ attribuerim diuersissima in eodem uitia, summam confidentiam et, contra, nimium metum. Nam qui deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura coniuere, caput obuoluere, ad uero maiora proripere se e strato sub lectumque condere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multum locorum miraculis, repente a Messana noctu profugit, Aetnaei uerticis fumo ac murmure pauefactus. Aduersus barbaros quoque minacissimus, cum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam non mediocrem fore consternationem sicunde hostis appareat, equum ilico conscendit ac, propere reuersus ad pontes², ut eos calonibus et impedimentis stipatos repperit, impatiens morae, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam, audita rebellione Germaniae, fugam et subsidia fugae classes apparabat, uno solacio adquiescens transmarinas certe sibi superfuturas prouincias, si uictores Alpium iuga, ut Cimbri, uel etiam Urbem, ut Senones quondam, occuparent ; unde credo percussoribus³ eius postea consilium natum apud tumultuantes milites ementiendi, ipsum sibi manus intulisse nuntio malae pugnae perterritum.

SUÉTONE

¹ *ualitudo* (= *ualetudo*): « maladie »

² Il s'agit des ponts sur le Rhin.

³ Allusion à l'assassinat de Caligula.

VERSION LATINE

Faire l'apprentissage de la joie

Putas me tibi scripturum, quam humane nobiscum hiems egerit, quae et remissa fuit et brevis, quam malignum uer sit, quam praeposterum frigus, et alias ineptias uerba quaerentium ? Ego uero aliquid, quod et mihi et tibi prodesse possit, scribam. Quid autem id erit, nisi ut te exhorter ad bonam mentem ? Huius fundamentum quod sit quaeris ? ne gaudeas uanis. Fundamentum hoc esse dixi : culmen est. Ad summa peruenit, qui scit, quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit ; sollicitus est et incertus sui, quem spes aliqua proritat, licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licet numquam illum sperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili : disce gaudere. Existimas nunc me detrahere tibi multas uoluptates, qui fortuita submoueo, qui spes, dulcissima oblectamenta, deuitandas existimo ? Immo contra nolo tibi umquam deesse laetitiam. Volo illam tibi domi nasci : nascetur, si modo intra te ipsum sit. Ceterae hilaritates non implent pectus, frontem remittunt, leues sunt, nisi forte tu iudicas eum gaudere, qui ridet : animus esse debet alacer et fidens et supra omnia erectus. Mihi crede, uerum gaudium res seuera est.

Sénèque, *Lettres à Lucilius*

VERSION LATINE

Les rêves prémonitoires d'Hannibal

Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre uellet dubitaretque utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebrauisset, cumque solidam inuenisset, statuisse tollere. Ei secundum quietem uisam esse Iunonem praedicere ne id faceret ; minarique, si fecisset, se curaturam ut eum quoque oculum, quo bene uideret, amitteret¹ ; idque ab homine acuto non esse neglectum ; itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam² curasse faciendam et eam in summa columna conlocauisset.

Hoc item in Sileni *Graeca historia* est (is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est) : Hannibalem, cum cepisset Saguntum, uisum esse in somnis a Ioue in deorum concilium uocari ; quo cum uenisset, Iouem imperauisset ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisset ; tum ei ducem illum praecepisset ne respiceret ; illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse ; tum uisam beluam uastam et immanem circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, uirgulta, tecta peruertere, et eum admiratum quaesisse de deo quodnam illud esset tale monstrum, et deum respondisse uastitatem esse Italiae praecepissetque ut pergeret protinus, quid retro atque a tergo fieret ne laboraret.

Cicéron, *De diuinatione*

¹ Rappelons qu'Hannibal était borgne...

² *Bucula, ae* : « génisse »

Qualités militaires de Jules César

Armorum et equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat¹. In agmine nonnumquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset ; longissimas uias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria raeda, centena passuum milia in singulos dies ; si flumina morarentur, nando traiciens uel innixus inflatis utribus, ut persaepe nuntios de se praeuenerit.

In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior, exercitum neque per insidiosa itinera duxit umquam nisi perspeculatus locorum situs, neque in Britanniam transuexit nisi ante per se portus et nauigationem et accessum ad insulam explorasset. At idem, obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos. A Brundisio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmisit cessantibusque copiis quas subsequi iusserat, cum ad accersendas frustra saepe misset, nouissime ipse clam noctu paruulum nauigium solus obuoluto capite conscendit, neque aut quis esset ante detexit aut gubernatorem cedere aduersae tempestati passus est quam paene obrutus fluctibus.

Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus umquam uel retardatus est. Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem aduersus Scipionem et Iubam non distulit². Prolapsus etiam in egressu nauis, uerso ad melius omine : « teneo te », inquit, « Africa ».

Suétone

¹ Le sujet est « César ».

² En 46, César poursuit ses adversaires en Afrique et affronte Metellus Scipion et son allié Juba de Numidie.

VERSION LATINE

Conseils à une jeune poétesse

Exilé par Auguste, Ovide recommande à Perilla, une jeune disciple en poésie, de ne pas abandonner un art qui confère l'immortalité.

Ergo desidia¹ remoue, doctissima¹, causas,
inque bonas artes et tua sacra redi.
Ista decens facies longis uitabitur annis,
rugaque in antiqua fronte senilis erit,
inicietque manum formae damnosa senectus,
quae strepitus passu non faciente uenit.
Cumque aliquis dicet « fuit haec formosa », dolebis,
et speculum mendax esse querere tuum.
Sunt tibi opes modicae, cum sis dignissima magnis :
finge sed inmensis censibus esse pares,
nempe dat id quodcumque libet fortuna rapitque,
Irus² et est subito qui modo Croesus erat.
Singula ne referam, nil non mortale tenemus,
pectoris exceptis ingenii³que bonis.
En ego, cum caream patria uobisque domoque,
raptaque sint adimi quae potuere mihi,
ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque :
Caesar³ in hoc potuit iuris habere nihil.
Quilibet hanc saeuo uitam mihi finiat ense,
me tamen extincto fama superstes erit,
dumque suis uictrix omnem de montibus orbem
prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Ovide

¹ Ovide s'adresse ici à Perilla.

² Irus est un mendiant d'Ithaque qui symbolise ici l'indigence.

³ Caesar : il s'agit de (César) Auguste.

VERSION LATINE

Deux « miracles » de Vespasien à Alexandrie

Lors de son séjour à Alexandrie à la fin de l'année 69, Vespasien opère la guérison de deux Égyptiens.

E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius aduoluitur, remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabaturque principem ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manum aeger eodem deo auctore, ut pede ac uestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo inridere, aspernari ; atque illis instantibus modo famam uanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et uocibus adulantium in spem induci ; postremo aestimari a medicis iubet an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici uarie disserere : huic non exesam uim luminis et redituram, si pellerentur obstantia ; illi elapsos in prauum artus, si salubris uis adhibeatur, posse integrari ; id fortasse cordi deis et diuino ministerio principem electum ; denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, inriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quicquam ultra incredibile, laeto ipse uultu, erecta quae adstabat multitudine, iussa exsequitur. Statim conuersa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

Tacite

VERSION LATINE

Il vaut mieux ne pas irriter un ivrogne

Conséquences atroces d'un accès de colère du roi Cambyse, sous l'effet de l'ivresse.

Cambysen regem nimis deditum uino Praexaspes unus ex carissimis monebat ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in rege quem omnium oculi auresque sequerentur. Ad haec ille : « Vt scias », inquit, « quemadmodum¹ numquam excidam mihi, adprobabo iam et oculos post uinum in officio esse et manus. » Bibit deinde liberalius quam alias capacioribus scyphis, et iam grauis ac uinolentus obiurgatoris sui filium procedere ultra limen iubet, adleuataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum et ipsum cor adolescentis (id enim petere se dixerat) figit, rescissoque pectore haerens in ipso corde spiculum ostendit ac respiciens patrem interrogauit satisne certam haberet manum. At ille negauit Apollinem potuisse certius mittere.

Dii illum male perdant, animo magis quam condicione mancipium ! Eius rei laudator fuit cuius nimis erat spectatorem fuisse. Occasionem blanditiarum putauit pectus filii in duas partes diductum et cor sub uulnere palpitans : controuersiam illi facere² de gloria debuit et reuocare iactum, ut regi liberet in ipso patre certiores manum ostendere.

O regem cruentum ! O dignum in quem omnium suorum arcus uerterentur !

Sénèque

¹ *Quemadmodum* : comprendre au sens de « à quel point ».

² *Controuersiam facere* : l'expression constitue ici un euphémisme.

Version latine

Travail à risques

Thélyphron, le narrateur de ce passage, alors qu'il cherchait à gagner de l'argent, s'est montré un jour intéressé par une annonce – faite par le crieur public – relative à un travail particulier : la garde d'un mort, à la veille de ses funérailles. Il s'informe auprès d'un passant qui lui explique en quoi consiste ce travail et quels dangers il comporte.

« Merito ignoras¹ Thessaliae te consistere, ubi sagae mulieres ora mortuorum passim demorsicant, eaque sunt illis artis magicae supplementa. » Contra ego : « Et quae, tu » inquam « dic sodes, custodela ista feralis ? » « Iam primum » respondit ille « perpetem noctem eximie uigilandum est exertis et inconiuis oculis semper in cadauer intentis nec acies usquam deuertenda, immo ne obliquanda quidem, quippe cum deterrimae uersipelles² in quoduis animal ore conuerso latenter adrepant, ut ipsos etiam oculos Solis et Iustitiae facile frustrentur ; nam et aues et rursum canes et mures immo uero etiam muscas induunt. Tunc diris cantaminibus somno custodes obruunt. Nec satis quisquam definire poterit quantas latebras nequissimae mulieres pro libidine sua comminiscuntur. Nec tamen huius tam exitiabilis operae merces amplior quam quaterni uel seni ferme offeruntur aurei. Ehem, et quod paene praeterieram, siqui non integrum corpus mane restituerit, quidquid inde decerptum deminutumque fuerit, id omne de facie sua desecto sarcire compellitur. »

His cognitis animum meum conmasculo et ilico accedens praeconem : « Clamare » inquam « iam desine. Adest custos paratus, cedo praemium. »

« Mille » inquit « nummum deponentur tibi. Sed heus iuuenis, caue diligenter principum ciuitatis filii cadauer a malis Harpyis probe custodias. »

APULÉE

¹ C'est le passant qui parle et s'adresse ainsi à Thélyphron.

² Ici et ailleurs les sorcières thessaliennes sont assimilées à des créatures monstrueuses.

Version latine

Arnaque à Syracuse

Canius, un chevalier romain qui ne manquait ni d'esprit ni d'instruction, était à Syracuse en vacances. Là, il fit savoir qu'il souhaitait acheter des jardins où il pourrait se détendre et inviter des amis. La nouvelle parvint aux oreilles d'un certain Pythius...

Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, uenales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si uellet, ut suis¹, et simul ad cenam hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Cum ille promississet, tum Pythius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratus, piscatores ad se conuocauit et ab iis petiuit ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere uellet. Ad cenam tempori uenit Canius ; opipare a Pythio apparatus conuiuium ; cumbarum ante oculos multitudo : pro se quisque, quod ceperat, afferebat ; ante pedes Pythii pisces abiciebantur.

Tum Canius : « Quaeso », inquit, « quid est hoc, Pythi ? Tantumne piscium ? Tantumne cumbarum ? » Et ille : « Quid mirum ? » inquit, « hoc loco est Syracusis quidquid est piscium, hic aquatio, hac uilla isti carere non possunt. » Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut uenderet ; grauante ille² primo ; quid multa ? Impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti quanti Pythius uoluit, et emit instructos³ ; nomina facit, negotium conficit. Inuitat Canius postridie familiares suos, uenit ipse mature, scalmum nullum uidet. Quaerit ex proximo uicino num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos uideret. « Nullae, quod sciam », ille inquit, « sed hic piscari nulli solent ; itaque heri mirabar quid accidisset ! »

CICERON

¹ Construire *Pythius ei quidem* <dixit> ...se...non habere, sed licere...

² ille renvoie à Pythius.

³ sous-entendre *hortos*.